Evangelium secundum Matthæum, VI

5 Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 6 Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito : et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 7 Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. 8 Nolite ergo assimilari eis : scit enim Pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum. 9 Sic ergo vos orabitis :
Pater noster, qui es in cælis,
sanctificetur nomen tuum.
10 Adveniat regnum tuum ;
fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra.
11 Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie,
12 et dimitte nobis debita nostra,
sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.
13 Et ne nos inducas in tentationem,
sed libera nos a malo. Amen.
14 Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum : dimittet et vobis Pater vester cælestis delicta vestra. 15 Si autem non dimiseritis hominibus : nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Evangelium secundum Lucam, XI

1 Et factum est : cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos. 2 Et ait illis : Cum oratis, dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. 3 Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 4 Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

Notes

sīcut, just as
hypocrita, -ae, *m.,* hypocrite
synagōga, -ae, synagogue
angulus, ī, corner
platea, -ae, street
āmēn, *adv.*, truly, verily
mercēs, -ēdis, wages, reward
intrō (1), enter
cubiculum, ī, bedroom, room
claudō, -ere, clausī, clausum, close
ōstium, -iī, door
in absconditō, in (a) secret (place)
reddō, dere, didī, ditum, give back, answer, requite
ergō, *adv.,* therefore
sānctificiō, (1), treat as holy
rēgnum, ī, kingdom
voluntās, -tātis, will, wish
et, also
pānis, is, *m.,*bread
supersubstantiālis, -e, necessary to the support of life
dīmitto, send away, dismiss
dēbitum, ī, *n.,* that which is owing, debt (= sin)
dēbitor, -ōris, one who owes something

From the Clementine Vulgate available online at: http://vulsearch.sourceforge.net/gettext.html
and compare the Nova Vulgata available online at:
http://www.vatican.va/archive/bible/nova_vulgata/documents/nova-vulgata_index_lt.html